

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christoph David Anton Martini

**Perseqvntiones Christianorvm Svb Imperatoribvs Romanis, Cavsa Earvm Et Effectvs**

**Commentatio II. : Paschatos Solemnia Pie Celebranda Indicit**

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005151245>

Band (Druck) Freier  Zugang 



T. 512.

1803. Ostern.

A-1256. 431. c.



Off. 1803

# PASCHATOS SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

D. C H R. D A V. A N T. M A R T I N I

SERENISS. DVCI REGN. A CONSILIIS CONSISTORII

THEOL. PROF. PVEL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

---

PERSEQVVTIONES CHRISTIANORVM SVB  
IMPERATORIBVS ROMANIS, CAVSÆ EARVM  
ET EFFECTVS. COMMENTATIO II.

---

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS

M D C C C I I I.



(Continuatur Sectio prima.)

**C**aeso DOMITIANO, saevo et truculento Tyranno, nova lux affulsit orbi Romano. Successere enim boni principes, NERVA, TRAIANVS, HADRIANVS, ANTONINI, quorum sub imperio regnum Romanum dominationis intolerabili iugo oppressum ita recreatum est et refocillatum, ut, si ullum aliud tempus, hoc demum reperiatur, in cuius recognitione et contemplatione animus lubenter et iucunde acquiescat.<sup>1)</sup> Qui tamen factum sit, ut vel sub aequissimis optimisque imperatoribus multis cum malis res Christiana conflictaretur, docebitur sectione secunda. In praesenti vexationes ipsas contra Christianos comimotas persequamur.

Iam statim sub TRAIANO, et, ut plerisque placet, eo auctore *tertia* persecutio exarsisse, et multas magnasque strages per orbem Romanum edidisse fertur. Rem omnem ad fidem monumentorum testiumque idoneorum exigendam esse dubitari non potest. Iam vero potissimum hic standum est auctoritate epistolarum Plinii

A 2

secundi,

<sup>1)</sup> Cf. omnino libellus cel. *Hegewisch* supra comment. I. not. 6. laudatus.

secundi, quae hoc argumentum tractant. <sup>2)</sup> Ex his enim praecipue hauserunt scriptores Christiani, qui de statu Christianorum sub Traiano aliquid literis traditum reliquerunt. <sup>3)</sup> Quae praeterea afferunt, ea, si accuratius rem aestimes, fama solum antiqua et traditione magis minusve illa probabili nituntur. Itaque ante omnia de epistolis illis Plinii longe celeberrimis videamus.

Quaecunque cum ex libello Plinii ad Traianum misso (nos *relationem* appellare solemus), tum ex rescripto imperatoris cognosci possunt, his fere continentur. Quum in Bithyniam et Pontum, ad ordinandum earum provinciarum statum Plinius extra ordinem missus esset legatus et propraetor, <sup>4)</sup> accidit, ut in Christianorum, quibus provinciae illae abundabant, cognitionem incurreret.

## Prima

- <sup>2)</sup> Epp. X, 97. 98, ex recensione novissima *Gierigii* V. C. 96. et 97. Caeterum neminem fugit, harum epistolarum auctoritatem impugnatam esse a L. S. *Semlero* in l. cui titulum fecit: Neuer Versuch die Kirchengeschichte des ersten Jahrhunderts weiter aufzuklären, Lips. 1788. p. 119 — 246. assentiente *Corrodi* in l. Beyträge zum vernünftigen Denken in der Religion P. XIII. p. 1 — 35. sed virum praestantissimum ingenio et doctrina abusum esse ad authentiam epistolarum illarum labefactandam multi docuerunt. Cf. *Haversaat* Vertheidigung der Plinischen Briefe. Gött. 1788. et cl. *Gierig* in ed. epp. Plin. T. II. p. 498 sqq. quanquam non omnia, quae a viro doctissimo in medium proleta sunt, mihi probantur.
- <sup>3)</sup> Sic Tertullianus Apol. c. 2. p. 6. T. V. ed. *Semler*. (p. 24. ed. *Havercamp*) et Orosius VII, 12. p. 486 sq. E Tertulliano vero sua depromsit Eusebius H. E. III. 33. p. 128. ed. *Reading*. (p. 170. ed. *Strotz*) et in Chron. ad Olymp. CCXXI. (C. 108.) quanquam non satis accurate latina reddens. Ex Eusebio vero alii complures pendent.
- <sup>4)</sup> Cf. *Tillemont* hist. des Empereurs T. II. P. 2. p. 437. ed. sec.

Prima hic statim se offert quaestio, quid Plinium impulerit, ut in Christianos inquireret, quas potissimum rationes ea in re sequutus sit, quaeque consilii summa fuerit. Non obscuram literae eius habent significationem, conventus Christianorum solemnies, religioni dicatos, qui quidem ad collegia sodalitia legibus prohibiti ei referendi videbantur, in causa fuisse, cur res Christianas non absque diligent cognitione praetermittendas putaret. Licet enim conventus religiosi per se legibus de collegiis et corporibus prohibitibus non subiacerent, <sup>5)</sup> neque ob novas religiones et caeremonias introductas hucusque a magistratu Romano in iudicium vocati essent Christiani, haud dubie, quoniam hactenus non nisi pro secta iudaica habitu essent, Iudeis vero liberum religionis exercitium per orbem Romanum permissum esset: tamen cum convivia sacra, (*agaparum* nomine apud scriptores Christianos celebrata <sup>6)</sup>) cum conventibus eorum coniuncta esse accepisset, facile in eam sententiam adduci poterat, ut Christianorum societas tanquam legibus contrarias non tolerandas censeret. Accedebant calumniae tum conspirationis in scelera nefanda, quibus coetus antelucani, tum infanticidii et incestus, quibus *eucharistiae* usus cum Agapis eo tempore coniunctus ansam praebuisse videtur, quibus quidem calumniis in tantam invidiam Christiani apud gentiles erant adducti, ut ipsi nomini *Christiani* notio hominis sacrilegi, impii et scelesti illigata esset. In his calumniis

<sup>5)</sup> Digest. I. XLVII. tit. XXII. Mandatis principalibus praecipitur Praesidibus provinciarum, ne patientur esse collegia sodalitia — sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur.

<sup>6)</sup> Cf. omnino Boehmeri diss. de coitionibus Christianorum ad capiendum cibum, in diss. iuris eccles. antiqui n. IV. p. 223 sq. ed. 2.

calunniis et criminacionibus divulgandis sacerdotum et sacrificiorum praecipuas quasdam partes fuisse, cum ex aliis rationibus tum ex iis, quae sub finem epistolae Plinii de templis deorum desolatis, sacris solemnibus diu intermissis, victimarum rarissimis emptoribus, verbo de cultu deorum in contemptum adducto commemorantur, non sine magna probalitate colligitur. Itaque Plinius non intercedebat, quo minus Christianae sectae addicti publice conquisiti deferrentur et in iudicium vocarentur.

Iam vero Christianis apud eum delatis, quoniam cognitionibus de Christianis nunquam interfuerat, quo modo cum iis agendum esset, haesitavit.<sup>7)</sup> Primum hanc rationem sequutus est, ut eorum qui delati erant nonnullos, qui iterum iterumque interrogati Christianismum professi erant, (exceptis iis, qui cives Romani erant, quos adnotavit in urbem remittendos) ad supplicium rapi iuberet, offensus maxime eorum in religione sua tenenda obstinatione et pervicacia, quam frustra concutere et convellere laborabat. Cum vero plurima in dies Christianorum nomina deferrentur (propositus etiam erat libellus sine auctore multorum nomina continens), accurioris inquisitionis necessitatem sibi vel invito impositam videbat. Inquisitione autem facta intellectum est, ex ipsa affirmatione eorum, qui a fide Christiana desciverant, quod Christianorum coetus non ad turpitudinem aliquam convenienter, nec se sacramento in scelus aliquod, sed potius, ne delicta committerent, obstringerent. Convivia quoque eorum

<sup>7)</sup> Ep. X. 97. — Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non possit? nomen ipsum, etiam si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur?

eorum compertum est flagitorum imputatorum prorsus expertia esse, praetereaque usum eorum intermissum esse, ex quo tempore Traiano mandante edictum contra *hetacrias*<sup>8)</sup> erat promulgatum. Quae vero praeterea de cultu divino, quo Christum persequerentur<sup>9)</sup>, et de aliis opinionibus et ritibus religiosis Christianorum in medium prolati essent, ea ad superstitionem h. e. ad vanas et futilles de rebus divinis opiniones Plinius referenda censebat. Itaque eos, qui Christians se fuisse aut nunc esse negarent, idque diis thure ac vino supplicando testatum facerent, tanquam nullius criminis reos dimisit. De reliquis, cum tantus esset omnis aetatis, ordinis, sexus etiam utriusque numerus, qui in periculum vocaretur, Traianum consulendum putabat.

Rescripsit imperator: In universum aliquid, quod quasi certainam formam haberet, constitui non posse. Conquirendos non esse Christians, libellos quoque sine auctore propositos, ut rem pessimi exempli

<sup>8)</sup> *Hetacrias* s. sodalitia omnis generis quam maxime improbabat Traianus. Vid. Plin. Epp. X, 42 et 43. 93 et 94. cf. Bochmer. I. c. p. 287 — 292.

<sup>9)</sup> affirmabant — quod essent soliti — carmen Christo, quasi deo, dicere secum invicem. — Particulum *quasi* non cum interpretibus, quos vidi omnibus, negligendam esse puto, quae mihi eo consilio addita esse videtur, ut significaret apud eos Christum non quidem summo deo aequíparari, proximum tamen ab eo locum ex sententia eorum occupare. Hoc sensu enim divinitatem Christi asserebant illius temporis Christiani. Similis usus est partic. *quasi* apud *Spartianum* in vita Hadriani c. 27. in scriptor. H. A. Tom. I. p. 219. ed. L. B. 1671. „Templum — ei (Antinoo) — constituit, et quinquennale certamen — et multa alia, quae ad honorem *quasi* numinis pertinenter;“ ubi frusra lectionem sollicitat Casaubonus.

exempli suoque tempore prorsus indignam, penitus repudiandos esse; eos tamen, qui a legitimo accusatore postulati, Christianismi convicti essent, si ab eo recedere pertinaciter recusarent, puniendos esse. Itaque cum hactenus nonnisi barbara vi et tumultuaria condemnatione passim in Christianos saevitum esset, hoc primum fuit principis rescriptum, quod modum contra eos procedendi ad regulam quandam et normam revocaret.

Iam vero hoc ipsum Traiani rescriptum quantis opprobriis a scriptoribus Christianis petitum et sugillatum fuerit, non solum tanquam iniquum et iniustum, sed etiam tanquam secum ipso pugnans, inter omnes constat. Notissima est Tertulliani declamatio<sup>10)</sup> sexcenties illa repetita: *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertisit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non et inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis?* et quae sunt reliqua. Enimvero si de principum eorumque, qui summae reipublicae administrandae praesunt, consiliis et factis cognitionem tibi sumas, non tantum, quid quisque fecerit, sed etiam quibus temporibus, quo rerum statu et conditione, inter quos homines, videndum est. Qua quidem iudicandi norma adhibita de rescripto Traiani iudicium longe mitius ferendum, illudque, si non laudandum, excusandum certe esse intelliges.

Cultum religiosum publice receptum, e quo reipublicae salus et incolumitas cum multis aliis praestantissimis viris illi apta et nexa videbatur,<sup>11)</sup> cui cum ipsa re militari, in qua imperii vis et potestas sita

<sup>10)</sup> Apologet. c. 2.

<sup>11)</sup> Notissimum est iudicium Polybii VI. 54. cf. Warburton divine lega-

sita erat, summa coniunctio et necessitudo intercedebat; omnino non abrogandum et antiquandum, sed servandum et retinendum putabat. Iam cum Christiani religionem suam omni studio totisque viribus gentilibus suscipiendam ingererent, ritusque religiosos publica auctoritate munitos oppugnarent, maiorum omnium sacra de medio tollenda ac penitus proiicienda esse vociferarentur, imperii rationibus parum accommodatum censebat Traianus, patriarchum legum et institutorum ille servantissimus, idemque Pontifex maximus, si religionis suae libere profitendae et exercendae facultas Christianis concederetur. Suspecti etiam erant conventus eorum nocturni et antelucani, toties legibus coerciti, suspecti tot coetus mutuo quodam ordinatae societatis suisque numeris distinctae vinculo colligati. Timebat ne factiones inde conflari possent, quae rempublicam turbarent, novarumque rerum tentandarum semina spargerent. Parcendum etiam erat sacerdotibus, ingenti odio contra novam sectam exasperatis. Quae quidem omnia si ad animum revocaveris, desines mirari, quod nova sacra in rempublicam non admittenda censeret. Altera tamen ex parte cum ab immanitate et saevitia alienissimus esset optimus princeps, initi quippe placidoque animo praeditus,<sup>12)</sup> multum absuit,

quod

legation of Moses, Vol. I. p. 307 sq. et cel. Beck in commentat.

\* Ueber den Einfluss der Röm. Religion auf den Charakter des Volks und des Staats, quae praefixa est versioni histor. Rom. a Ferguson editae Vol. III, P. 2. p. V—XIV.

<sup>12)</sup> Cf. Dio Casf. LXVIII, 5. p. 1122. c. 6. p. 1123. c. 7. p. 1124. etc.

De ingenio et moribus Traiani bene exposuerunt, ut alios taceam, Bach in vita Traiani, quae praefixa est commentario de legibus Traiani, Lips. 1747. p. XXV sq. et cel. Hegewisch l. c.

quod de nova secta quovis modo vi et iniuriis delenda et extirpanda cogitasset. Itaque Christianos conquiri vetabat h. e. ministris publice ad hoc constitutis, ut facinorosos conquerirent, eosque ad iudicem deferrent, quo rei veritate explorata condemnarentur, nullum in hoc negotio locum esse volebat.<sup>13)</sup> Delationes porro sine nominis subscriptione propositas prorsus repudiandas censebat. Solam admisit accusationem privatam praevia inscriptione exercendam. Legitima accusatione Christianismi convictos, si in sententia perstarent, coercendos quidem existimavit, poena tamen generali non constituta, quam potius temporum rerumque rationibus accommodandam esse iudicabatt.<sup>14)</sup>

Omnino qui disciplinae Chritianae addicti erant, non parum utilitatis iis attulit edictum a Traiano propositum. Cum nihil iis timendum esset ab accusatoribus publicis, delatores vero ista aetate quam maxime exosi essent, et, si probare accusationem non possent,

gra-

<sup>13)</sup> Hunc sensum inesse verbis *conquirendi non sunt*, neque, quod vulgo putant, ad inquisitorium processum, *ex officio* ut aiunt, institutum, cumque contra Christianos vetitum, verba referenda esse, praecclare docuit Bochmer. l. c. diss. VI. p. 311 — 334.

<sup>14)</sup> Dolendum est, quod annus, quo literae Plini<sup>i</sup> cum rescripto Traiani scriptae sunt, non satis certo definiri possit. Eusebium, dum a. C. CVIII. iis adsignat, solam conjecturam sequutum esse, bene monuit Scaliger in animadvers. p. 207. Massonius has epistolas refert ad a. 104. (in vita Plinii p. 131.) Norisius ad a. 109 s. 100. Pagi in crit. Baron. ad a. IIII. s. 112. Omnibus expensis inclinor in eam partem, ut cum Massono circa a. 104. eas scriptas esse putem.

gravissimis poenis coercerentur,<sup>15)</sup> maximam partem Christiani, dummodo prudentiae legibus obedirent, nec publicas caeremonias contumeliose tractarent, tuti et quieti delitescere poterant. Ipse Tertullianus, licet in Traianum satis iniquus, rescripto illo rebus Christianorum consultum fuisse, negare non sustinet.<sup>16)</sup>

Non itaque, si accurate rem aestimes, Traianus vexationem adversus Christianos excitasse, quin potius cavisse dicendus est, ne eadem, qua hactenus passim factum erat, acerbitate et immanitate in eos saeviretur. Non omnis quidem eos vexandi et turbandi occasio praecisa erat. Poterant, si qui accusandi periculum non reformidarent, in iudicium eos vocare, hisque molestiam apud magistratus facessere, ut de facultatibus, libertate, vita etiam periclitarentur. Praeterea nullis, ne benignissimis quidem imperatorum edictis prohiberi poterat, quin plebis a sacerdotibus suis incensae furore interdum in summum discimen adducerentur, quanquam haec populi ferocientis immanitas non raro, id quod luculentis exemplis doceri potest, praesidum et praefectorum humanitate fracta et emollita est. Graviorem vero persecutionem, quae omnes fere orbis Romani provincias pervagata sit, nullam regnante Traiano Christianis perpetiendam fuisse, confidenter pronuntiare ausim. Fac enim tales extitisse, qui fieri potuisset, ut tantae calamitatis memoria tam cito obliterata esset, ut ad seculi secundi et tertii scriptores Christianos nulla eius memoria perveniret? Eusebius illud tantum memoriae

B 2

prodic.

<sup>15)</sup> V. Plin. Panegyr. c. 34. 35. cf. Bachii de legg. Traiani comment.

p. 77 — 88.

<sup>16)</sup> Apolog. c. V. p. 17. Quales leges istae (contra Christianos) — quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquire Christinos etc.

proditum esse refert, imperante Traiano passim Christianos populari tumultu vexatos et afflictos esse.<sup>17)</sup>

Martyrum, qui sub Traiano occubuerunt, pauci cum aliqua fide tradi possunt. Eminent in his Symeon Cleophae filius, episcopus Hierosolymitanus, et Ignatius episcopus Antiochenus.<sup>18)</sup> Et illum quidem Eusebius vel potius Hegesippus, e quo sua derivavit, ab haereticis, quos Iudeos fuisse volunt, delatum, CXX annos natum martyrio vitam finisse narrat.<sup>19)</sup> Multa tamen admiscet Hegesippus, quae

<sup>17)</sup> Euseb. H. E. III. 32. Κατὰ τούτου (Traianum) μερικῶς καὶ κατὰ πόλεις εὖ επανεπτατέσσες δῆμων τὸν καθ' ημάν κατεχεῖ λογος ανακηρύχτηκαι διαγυμον. Cf. III, 33. traditum est, Traiani edicto proposito ποτῶς μεν τὸν διαγυμον σβετθῆναι τὴν απειλὴν σφροδοτᾶτα εὐκείμενον οὐ χειρονας γε μην τοις κακονοργεῖν περι ημας εἰδελουσι λειπεσθαι προφασεῖς εις θ' οπη μεν τῶν δῆμων, εσθ' οπη δε καὶ τῶν κατὰ χωρας αρχοντῶν τὰς καθ' ημάν συσκυαζομεναν επιβουλας<sup>20)</sup> ως καὶ αγεν προφανω διαγυμων μερικους κατ' επαρχιαν εὑσπερτεσθαι, πλειον δε τῶν πιστῶν διεφρονισ εναγωνίζεσθαι μαρτυριοις.

<sup>18)</sup> In tempore utriusque martyrii constitudo vehementer laborarunt viri docti. Vid. Dodwell de paucit. martyr. §. XVIII. XX. XXI. Pagi ad a. 107. n. III — VI. Grabe in spicileg. PP. seculi sec. p. 22. Tillemont hist. des emper. T. II. P. 3. p. 865 — 876. ed. 2. Quod si Acta Martyrii Ignatii spuria censenda sunt, de quo nullus dubito, vereor ne studia virorum doctissimorum ad nihilum recidant.

<sup>19)</sup> Euseb. H. E. III. 32.

quae parum probabilia videri possint. Martyrii Ignatianii quac fuerit ratio, omnino satis compertum foret, si, quod plerique tuentur, Acta passionis illius sincera essent ac genuina. <sup>20)</sup> Haec enim si audias, Ignatius ad Traianum, dum Antiochiae versaretur, perductus, cum nullis verborum lenociniis ad deserendam religionem Christianam adduci posset, constantia sua et παρεγνωσις ita animum imperatoris exacerbavit et irritavit, ut capitalem in eum sententiam ferret, eumque Antiochia Romain deductum bestiis obiciendum curaret. Sed haec Acta certum mihi est spuria esse et subdititia. Et animus erat, quas rationes habeo ita statuendi, hoc loco persequi. Cum vero praevideam longam sic disputationem exstirram, quae huius prolusionis angustiis circumscribi non possit, verbo monuisse sufficiat; cum multa iis contineantur a rerum natura et ab ingenio et moribus Traiani plane abhorrentia, temporum etiam rationibus repugnantia <sup>21)</sup>, nullo modo

<sup>20)</sup> Exstant apud *Ruinartum* latine ex edit. *Usserii* p. 11 sq. grecce p. 696 sq. ap. *Grabe* l. c. p. 9—22. et in *Cotelerii* PP. Apost. Vol. II. P. I. p. 157 sq. ed. *Clerici*.

<sup>21)</sup> Act. §. VII. Passus esse Ignatius dicitur Συγγενεῖς καὶ ΣΕΒΕΝΙΟΥ το  
δευτεροῦ h. e. a. c. 107. Simul vero §. 11. Ignatius a Traiano damnatus esse traditur, cum hic ad bellum Parthicum profecturus Antiochiam venisset. Iam vero omnes fere consentiunt, non ante a. CXII. in Orientem profectum esse Traianum, quin praferenda esse videtur eorum sententia, qui anno demum CXIV. expeditionem Parthicam susceptam esse contendunt. Vid. *Reimarus* ad Dion. Cass. LXVIII, 17. p. 1134. §. 19. — *Tillemontius* l. c., ut fidem Actorum Ignatii tueretur, duplificem Traiani in Parthos profectionem statuit,

modo genuina ea esse posse, sed ab auctoribus, quicunque fuerint, qui rebus ipsis se interfusse mentiuntur,<sup>22)</sup> illa conficta esse. Nec sane difficile est, fabula ista de Ignatio bestiis obiecto, quam Eusebius quoque fama acceptam refert,<sup>23)</sup> unde profluxerit, indagare. Inter VII epistolas Ignatio tributas, quas itidem spurias et suppositias esse dubitari non potest, licet ne nunc quidem *αὐθεντικῶν* earum docti quidam homines, sive assetudine credendi ac defendendi, sive alia qua cupiditate incensi, sibi eripi patientur, inter has itaque epistolas est una ad ecclesiam Romanam, quae in itinere scripta fuisse perhibetur. In hac auctor, quisquis fuerit, fanaticus certe et religioso furore lymphatus, sub nomine Ignatii haec crepat: „Utinam fruar bestiis illis, quae mihi paratae sunt. Quas quidem opto, ut quam primum nanciscar. Demulcebo illas, ut celeriter me devorent, nec metu absterritae mihi parcant, quemadmodum aliquibus pepercerount. Quodsi forte recusabunt,

statuit, quarum prior ad a. 106 referenda sit, sed non nisi inanibus coniecturis innititur. *Grabe* l. c. p. 22. postremam certe horum Actorum partem inde a §. V. spuriam, et ab interpolatore quodam assutam esse arbitrabatur. Sed antegressis quoque tot *νοέσις* signa insunt, ut in universum pro falsarii commento haberri mereantur.

<sup>22)</sup> §. V. §. VII.

<sup>23)</sup> H. E. III. 36. λόγος δ' εχει τούτον (Ignatium) απὸ Συρίας επὶ την Ρωμαϊκόν πόλιν αναπεμφθεντα Ἰηρών γειεσθαι βορεας της εἰς Χριστον μαρτυρίας ενεκεν. — Auctor epistolee quae Polycarpo tribuitur, in *Cotelerii PP. Ap. Vol. II. P. 1. p. 189.* §. IX. rogit tantum lectores, ut constantiam b. Ignatii imitentur, de immani supplicio eius nil quidquam commemorans.

bunt, ego eas adigam”<sup>24)</sup>. Ex hoc loco omnem illam narrationem de Martyrii genere, quo Ignatius affectus fuerit, promanasse nullus dubito. Martyrem eum factum esse non praefracte negaverim. Sed supplicii rationem et modum, ‘causam, annum quoque, quo res gesta sit, prorsus nos latere opinor.

Quae alia commemorantur saevitiae Traiani in Christianos documenta, quo pertinet famosa illa narratio de 11000 militibus Christianis, propterea quod idolis sacrificare nollent, primum ignominiae causa in Armeniam relegatis, deinde cum disciplinae Christianae nuntium mittere pertinaciter recusarent, in monte Ararat cruci affixis,<sup>25)</sup> ea quidem sunt eiusmodi, ut unusquisque historiae illius temporis vel mediocriter peritus, nec praecognitis opinionibus excoecatus absurdis et ineptis fabulis illa accensenda esse, sua sponte animadvertis.

Hoc unum addere liceat. Superioris aevi scriptori si fides adhiberi potest, Traianus temporis tractu, a Tiberiano Palaestinae praefecto monitus, tanto martyrii amore accensos esse Christianos, ut ultro semet Christianos coram tribunal profiterentur, seque ad supplicia offerrent,<sup>26)</sup> novo edicto proposito, vetuit ne Christiani

propter

<sup>24)</sup> In *Coteler.* PP. I. c. p. 28. cap. V.

<sup>25)</sup> Fabulam istam e Menologio graeco, Simeone Metaphraste, et martyrologio Rom. consarcinatam copiosius expositam habes ap. *Baron.* ad a. 108. n. I. II. Eadem adoptare non dubitavit *Kortholt.* p. 91. 92.

<sup>26)</sup> Huius quidem insaniae plura exempla occurunt. Eiusmodi est illud, quod narrat Tertullianus ad Scapulam c. 5. T. III. p. 209.  
ed.

propter solam fidei professionem poenis afficerentur. Res per se nihil habet, quod a temporum ratione et a moribus Traiani abhorrens videri possit. Praeterquam vero quod sola senioris scriptoris auctoritate res nititur, sunt et alia nonnulla, quae fidem narrationis suspectam facere videri possint.<sup>27)</sup> Itaque in suspenso rem relinquendam esse putamus.

Tra-

ed. Semler. „Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante Tribunalia eius se manu facta obtulerunt, cum ille, paucis duci iussis, reliquis ait: *ωδειλοι, ει θελετε αποθησαινειν, κρημνων η βροχους εχετε* b. e. o miseri, si mori vobis constitutum est, nec restes vobis desunt, nec praecipitia.” — Vulgo rem narratam referunt ad tempora Hadriani. Cum vero Arrius Antoninus, avus maternus Antonini Pii (hunc enim intelligendum arbitror), in epistola Plinii ad eum data l. IV. 3. quae circa a. c. 101. scripta est, *aetate quoque princeps* vocetur, idemque a Plinio Epp. IV. 27. gravissimis senibus annumeretur, rem, de qua quaeritur, ad Traiani tempora reiiciendam putarim. cf. de Arrio Antonino cl. Gierig ad Epp. Plinii T. I. p. 303 sq.

<sup>27)</sup> Locus exstat apud Suidam T. III. p. 499. (ed. Küsteri) quem integrum apponere non gravabor. *Τραϊανος Βασιλευς Ρωμαιων — τοις Χριστιανοις αναιωχην τις της τιμωριας παρεγχεν. Οι γαρ κατοικουν υπο των Ρωμαιων τας αρχας ανουμενοι, προς Θεραπειαν των τοτε Βασιλεων διαφορους επηγον τοις Χριστιανοις κολασεις οφεν και Τιβεριανος, ηγεμονευων του πρωτου Παλαιστινων εθνους ανηγαγεν αυτα λεγων, ως ευκ επαρχει λοιπον τους Χριστιανους*

Xριστιανους

Traianum in imperio excepta. CXVII. P. AELIUS HADRIANVS, qui quidem licet in universum vir bonus dici haud meruerit, secundum nostrum cogitandi modum, aut etiam secundum normam veteris philosophiae, vitia tamen, sane pauciora, multis magnisque virtutibus aequavit et redemit, ita ut imperatoriis dotibus imperantium plurimos longe superasse videatur. <sup>28)</sup> Idem tamen persecutionem, quam

quar-

*Χριστιανούς φονεύειν, εκείνουν αὐτοφατως εἰσαγόντων εἰσετούς της κολαστείν εντευθέν ο Τραϊανός πάτιν αμα τοις υπ' αυτον απηγορευειν, του τημορεισθαι τοτους.* Ducta haec esse e Ioh. Malela Antiocheno, qui epistolam Traiani talis argumenti adfert, recte observarunt viri docti. Epistolam ipsam habes apud Usserium in append. Ignatiana a. 1647. edita, et in Collectaneis Constantini Porphyrog. a Valesio editis p. 818. Authentiam eius multi impugnarunt, in his *Dodwellus* l. c. §. XXIII. XXIV. et *Pagi* ad a. C. 116. n. 11. In rationibus allatis, cur spuria censenda sit, sunt omnino plures, quibus non magna vis inesse videtur. Quod maximum scrupulum iniicit, est commemoratio Palaestinae primae. Utut enim, quo tempore divisio Palaestinae primae, secundae, tertiae, facta sit, accurate definiri non possit (V. *Mannert* V. C. Geographie der Griechen und Römer T. VI. P. I. p. 248 sq.), illud tamen certum est, ante Constantinum vestigium eius non reperiri. Vel sic tamen dicere possis, titulum a Iohanne, vel a scriptore alio eo antiquiore interpolatum esse, quo sui temporis hominibus illam, cui Tiberianus praefuit, Palaestinae partem accuratius declararet. Sed in re incerta nihil definire ausim.

<sup>28)</sup> Cf. *Dio Cass.* LXIX, 5. p. 1154. Censores satis iniquos expertus est Hadrianus, cum veteres, tum recentiores, in his ipsum *Tillemont*. l. c. T. II. P. 2. p. 363 sq. qui aeternis eum suppliciis ad-dixit p. 432. (Il finit enfin ses maux temporels avec sa vie, pour

*quartam esse volunt plerique, aduersus Christianos commovisse statuitur. Scilicet Hadrianum, dicunt, summo religionis Christianae odio incensum, licet ipse nullam legem in Christianos latam promulgaverit (hoc enim concedunt), tamen vel superiorum principum edicta, vel iura antiqua, quibus peregrinae religiones vetarentur, sequutum, vexationem eorum imperasse, et satis acerce contra eos saeviisse, decem vero annis exactis deum Aristidis et Quadrati libris apologeticis pro Christianis scriptis emollitum mitiorem animum induisse, persecutionisque aestuum mitigasse. Haec fere sunt, quae vulgo de statu Christianorum sub Hadriano narrari solent,<sup>29)</sup> quae si ad historiac legitimae normam resumque gestarum fidem exigas, non deerunt rationes, quibus vanitatis convincantur.*

Iam primum ab Hadriano vexationem in Christianos conflamat esse, nullo idoneo teste comprobari potest. In testimonium quidem citantur Sulpitius Severus, et Hieronymus.<sup>30)</sup> Sed ut omittam,

être précipité dans les supplices éternels. Ohe!) — Mihi Reimari indicium non multum a vero videtur abhorrire, qui, si a paucioribus vittis discesseris, perfecti, quantum in humano genere datur, principis imaginem Hadrianum sistere putat. cf. cel. Hegewisch l. c. p. 80 sq.

<sup>29)</sup> Vid. e. c. Baron, ad a. 120. IV. ad a. 127. I. ad a. 128. I. II. cum Pagi critica ad a. 126. II — IV. ad a. 134, II. Ruinart in praef. ad Acta Mart. p. XXXIII — XXXVI. Kortbold p. 97. alii.

<sup>30)</sup> Sulpit. Severus H. II. 31. — Quarta sub Adriano persecutio numeratur etc. Hieron. ep. LXX, (al. 84.) ad Magnum T. I. p. 428. ed. Vallars. (ed. Ben. T. IV. P. 2. p. 656.) „Quadratus Adriano principi, Eleusina sacra invisenti, librum pro nostra religione tradidit. Et tantae admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.“ cf. Oros. VII. 13, p. 488. Haverc.

tam, quam parum his talibus scriptoribus, ubi res antiquiores attin-  
gunt, tribuendum sit, si aliis testimoniis nullis narratio eorum com-  
munita appareat; Sulpitius Severus omnia turbat et miscet, Hadria-  
numque, cum Iudeos rebellantes frangeret et debilitaret, simul odio  
Christianae religionis inflammatum, sacrorum locorum memoriam  
erectis idolis profanasse satis imperite sumit.<sup>31)</sup> Ad Hieronymum  
vero quod attinet, quem quidem semper fere elatius dicere constat,  
quam pro vera rerum conditione, non alia causa illi fuit, cur *gra-*  
*vissimam persecutionem* ab Adriano concitatam esse statueret, quam  
quod a Quadrato apologiam pro fide Christiana illi exhibitam esse  
tenebat. Et vero eandem iudicandi rationem multi post eum sequuti  
esse deprehenduntur. In quo tamen una cum Hieronymo egregie  
falluntur. Constat enim Eusebio teste, nonnullorum malevolorum  
*conatus* civitatem Christianam turbandi ansam illius apologiae scri-  
bendae praebuisse,<sup>32)</sup> ita quidem, ut non sedandae sed praevenien-  
dae vexationis ergo Quadratus eam Adriano obtulerit.

Provocant quidem, qui sententiam temere susceptam de Ha-  
driano crudeli Christianorum persecutore animo dimittere nolunt,  
quo probabilitatis commendationem opinioni suae affingant, tum ad  
superstitionem gentilem, cuius acerrimum propugnatorem Hadria-  
num fuisse crepant, tum ad pravam austeritatem, qua Iudeis circum-

C 2

ciso-

<sup>31)</sup> I. c. Sub Adriano — Iudei — subacti sunt. Qua tempestate  
Adrianus, existimans se Christianam fidem loci iniuria peremptum,  
et in templo ac loco dominicae passionis daemonum simulacra  
constituit etc.

<sup>32)</sup> Euseb. H. E. IV, 3. — οτι δη τινες τους ημετερους ευοχλειν  
επειρωντο.

cisionem interdixerit, coque interdicto ad funestam illam seditionem eos compulerit, denique ad ingenitam crudelitatem, a Spartiano, a quo vitam Hadriani perscriptam habemus, illi tributam. Quae cuncta si animo reputentur, dubitandum non esse clamant, quin Christianorum quoque vexatorem egerit. Sed ut nunc non memorem, in historia legitima non quaeri, quid fieri potuerit, sed quid factum sit, illa ipsa, quae de indole et moribus Hadriani iactantur, accuratiore examine instituto vel falsa omnino, vel saltem in maius temere aucta apparent. Sacra Romana diligentissime curavit.<sup>33)</sup> Eleusiniis sacris etiam initiatus est<sup>34)</sup>, curiositatum scilicet omnium, ut cum Tertulliano loquar, explorator. Nec ab artibus magicis tractandis abhorruit.<sup>35)</sup> Sed oppido vani sunt, qui inde efficere conantur, religionum gentilium tam acrem et severum vindicem eum fuisse, ut superstitione tactus contra Christianos in religione dissidentes tormentis et caedibus saeviret. Imo vero peregrina sacra contempsisse h. e. neglexisse, nullamque eorum rationem habuisse traditur.<sup>36)</sup> Quod vero circumcisione prohibita belli Iudaici auctor fuerit, narrat id quidem Spartanus,<sup>37)</sup> sed non solum per se improbabilia

<sup>33)</sup> Spartian. vit. Hadriani c. 22.

<sup>34)</sup> Dio Cass. LXIX, II. p. 1159. Spart. c. 13. cf. Aurel. Victor de caesar. c. XIV. p. 349, ed. Arntzen.

<sup>35)</sup> Dio Cass. I. c. p. 1160.

<sup>36)</sup> Spart. c. 22. Sacra Romana diligentissime curavit, peregrina contempsit. Ad quem locum bene notavit Salmasius in script. H. A. T. I. p. 197. Graeca sacra Hadriano, qui tanto rerum literarumque graecarum studio tenebatur, non peregrina fuisse.

<sup>37)</sup> c. 14. Moverunt ea tempestate et Iudei bellum, quod vetabantur imutilare genitalia.

babilia narrat: quis enim Hadrianum existimet Domitiano tyranno asperiorum legibus vetuisse, quod ne ille quidem Iudeis interdixit aut restrinxit, modo Iudaicinum profiterentur, et didrachma penderent? Sed refellitur etiam a Dione Cassio, scriptore ut antiquiore ita graviore, qui novam coloniam loco Hierosolymorum a Tito eversorum ab Hadriano conditam, quam Aeliam Capitolinam vocarit, templumque Iovi ibi consecratum, Iudeos exacerbatos ad bellum instigasse affirmat.<sup>38)</sup> Denique iniqui censores censendi sunt, qui cum Spartiano<sup>39)</sup> crudelitatis ingenitae Hadrianum accusant. Omnino a morbo imperantium plurimorum, nemini satis fidentium, non purus fuit et integer. Itaque excellentes quosdam viros affectati imperii illi suspectos occidi iussit.<sup>40)</sup> Accessit sub mortis tempus mentis alienatio, in qua multa dura et aspera sanxit.<sup>41)</sup> Alioquin tantum absuit a saevitia

qua-

<sup>38)</sup> Dio Cass. LXIX, 12. p. 1161. — Ιερουσαλήμ τινάς εἰς τὴν πόλιν σφῶν οὐκισθῆναι, τοις αλλοφύλοις τίνας εἰς τὴν πόλιν σφῶν οὐκισθῆναι, ποτε ταῖς ιεραῖς αελλοτρυπίαις εν αυτῇ ιδευθῆναι etc. Simul Eusebium lapsum esse apparet, qui post bellum Iudaicum finitum demum Aeliam Capitolinam ab Hadriano conditam esse scribit, H.E. IV, 6. Frustra ut Eusebium cum Dione in concordiam redigeret allaboravit Tillenmont I. c. T. II. P. 2. p. 482. P. 3. p. 940. — Caeterum Spartiani commento de circumcisione Iudeis interdicta fidem non adhibendam esse, bene observavit idem p. 476. 488. quo magis miramur, viros doctissimos Bynkersboeckium opusc. p. 250. Semlerum H. E. T. I. p. 54. aliosque in sententia temere suscepta perstare maluisse.

<sup>39)</sup> c. 23.<sup>40)</sup> Dio Cass. LXIX, 2. Spart. c. 4. 7.<sup>41)</sup> Dio I. c. cap. 17. Spart. c. 22. 23. Aurel. Victor Caes. XIV,

19 sq.

quadam insigni et assuetudine firmata, ut in omni vita eius benignitatis et humanitatis luculentissima documenta appareant.

Quemadmodum vero nullis idoneis argumentis vexatio Christianorum ab Hadriano iussa probati potest, ita non desunt rationes, quae in contrariam partem allegari possunt. Libros Apologeticos Iustini et Tertulliani cum fragmendo Melitonis <sup>42)</sup> quicunque animo praecconceptis opinionibus libero manibus versarunt, iis obscurum esse nequit, horum virorum iudicio Hadrianum numero persecutorum Christiani nominis esse eximendum. Eusebius vero, antiquiorum scriptorum fidem sequutus, non obscure significat, publicam pacem ecclesiae Hadriano regnante nulla graviore calamitate fuisse turbatam, qui quidem illud tantum deplorat, quod eodem tempore, quo externa facies ecclesiae satis laeta fuerit, eadem internis ac domesticis vulneribus consissa sit et lacerata, dum emersissent, qui puriori doctrinae labem adspicerent, et sacratissimum fidei depositum scelestis manibus attractarent. <sup>43)</sup> Itaque et ipse persecutionem ab Hadriano imperatam ignoravit.

Enimvero quod vel sub aequissimis imperatoribus obtigit, ut vulgus, cum per se Christianos suspectos habens, non solum quod idolorum cultum contemnerent, sed etiam quod se suasque rationes

ab

19 sq. Epit. XIV, 9. *Lamprid.* Elagabal. c. 7. H. A. Tom. I. p. 810. „furore cooperat laborare etc.“

<sup>42)</sup> ap. Euseb. H. E. IV, 26. p. 190. *Reading.* (p. 243. ed. *Sroth.*)

<sup>43)</sup> Euseb. IV, 7. p. 147. — ο μισοκαλος δαιμων — Παλαι μεν τοις εξωθεν διωγμοις κατ αυτης (της εκκλησιας) απλι ζετο, τοτε γε μην τουτων αποκεκλεισμενος πονηροις και γονισι αυδεσαι — διανοοις απαλειας χρημενος etc;

ab iis seiungerent, convictumque et familiaritatem eorum defugerent, tum a sacerdotibus suis irritatus, praesertim festorum ludorum tempore, in licentiam effusus, criminationibus, quae contra Christianos iactabantur, temere fidem adhibendo, supplicium eorum flagitaret, utque ipsi interdum praesides et magistratus seditionis metu perterriti tumultuosis vulgi clamoribus hactenus morem gererent, ut nonnullos eorum, qui novae disciplinae addicti erant, suppicio affici iubarent; <sup>44)</sup> idem etiam sub Hadriano in Asia Proconsulari certe factum esse, negari omnino non potest. At vero tantum abest, ut populi suribundi rabiem pravamque praesidum facilitatem probasset imperator, ut posius, cum Serenius Granianus, Asiae proconsul, ea de re ad eum retulisset, literis ad successorem eius Minutium Fundanum datis (Ser. Granianus enim interea vel e vita vel e magistratu decesserat), tumultuosis eiusmodi populi concitati vociferationibus nullo modo cedendum esse graviter moneret, Christianosque tum demum, si legitima accusatione instituta violatarum legum rei convicti essent, puniendos esse sanciret. <sup>45)</sup> Sed praestat, rescriptum ipsum subiungere, in hanc sententiam conceptum:

Aelius Hadrianus Aug. Minutio Fundano.

Accepi epistolam a Serenio Graniano, clarissimo viro, decessore tuo  
per-

<sup>44)</sup> cf. literas eccles. Vienn. et Lugdun. ad eccles. Asiat. et Phryg. apud Euseb. V, 1. de quibus infra erit dicendi locus.

<sup>45)</sup> Servavit hanc epistolam Iust. M. Apol. I, §. 69. p. 84. ed. Bened. et ex eo Euseb. H. E. IV, 9. cf. Xiphilin. in compendio e Dione LXXI, 3. p. 1173. Epistolam lingua Romana consignataam operi inseruerat Iustinus; iam non nisi graeca eius versio extat ab Eusebio confecta. E fragmento Melitonis ap. Eus. IV, 26. hoc rescriptum etiam ad alios provinciarum praesides missum esse recte colligitur.

perscriptam. Non absque diligentí inquisitione res mihi praetermit-tenda videtur, ne et homines perturbentur, et sycophantis occasio grassandi praebeatur. Quodsi provinciales postulationes adversus Christianos legitimo processu probare possint, ut et illi pro tribunali respondeant, hac una insistant via. Solis petitionibus atque clamori-bus nullus locus esto. Si quis ad accusandum accedere velit, de causa tu debes cognoscere. Itaque si delator legum violatarum Christianos reos peregerit, tu pro delicti ratione animadvertisco. Sin me-hercule calunniae causa crimen cuiquam quis intendisse compertus fuerit, pro gravitate maleficii sentiat animadversionis tuae severita-tem. <sup>46)</sup>

Satis

<sup>46)</sup> Επιστολην εδεξαμην γραφεισαν απο Σερενιου Γρανιανου,  
λαμπροτατου ανδρος, ον τινα συ διεδεξα. Ου δοκει μοι  
ουν το πραγμα αλητητον καταλιπειν, μωιη μη τι οι ανθρωποι  
ταρρυπτανται, και τοις συκοφανταις χερηγισε κακουργιας  
παραχειθη. Ει ουν σαφως εις ταυτην την αξιωσιν οι επαρχιατας δινανται (Iustin. δινανται) δισχυροζεσθαι κατα των  
Χριστιανων, ως και προ Βηματος αποκρινεσθαι, επι τουτο  
μονον τραπωτιν, αλλ' αυτη αξιωσειν ουδε μονας Βοαις (sc.  
χρωνται). Πολλων γαρ μαλλον προσηκεν, ει τις κατηγορειν  
Βουλοιτο, τουτο σε διαγνωσκειν. Ει τις ουν κατηγορει κατ  
δεινυσσι τι πορφ τους νομους πραττοντας, ουτως οριζε (Iustin.  
διοριζε) κατα την διναριν της αμηρτιας ως μαι τον Ηρακλεα  
ει τις συκοφαντειας χαριν τουτο προτεινοι, διαλαμβανε υπερ  
της δεινοτητος, και φροντιζε, οπως ον εκδιηγεισε.

Satis apertus esse videtur sensus rescripti, quod vanas populi voces in criminationibus contra Christianos iactandis non audiendas esse iubens, rem omnem ad tribunal et iudicia revocat, Christianosque, nisi contra leges de criminibus aliquid commisisse convicti fuerint, poenis et suppliciis affici vetat.

Sed fuerunt et olim et sunt etiam nostra aetate, qui sensum longe diversum in hoc rescripto reperisse sibi visi sunt. Ipsam enim professionem religionis novae, tanquam rem iure antiquo vetitam inter crimina morte expianda relatain esse volunt. Itaque prohibuisse tantum Hadrianum, ne vanis rumoribus vulgi, Christianismi alios incusantis, temere fides adhiberetur. Quicunque vero, licet nullius flagitiis rei, iusto examine instituto, Christianis sacris re vera addicti reprehensi essent, illos omnino ex Hadriani decreto supplicio afficiendos fuisse.<sup>47)</sup>

Enimvero ut ne in has partes discedam, plura sunt quae obstant. Et primum quidem quis non videt interpretationem istam, quae obvium verborum sensum spernit, contortam esse et argutam? Fac hoc voluisse Hadrianum, quid causae cogitari potest, cur non apertis verbis dixerit, Christianismi legitime convictos puniendos esse? Contra ipsa formula, quae *Christianos* non nisi violatarum legum reos, et quidem pro delicti gravitate puniri debere sciscit, si animo non occupato in sensum eius te insinues, non obscure prodere videatur, solam confessionem alicuius, se esse Christianum, ad crimen consti-

<sup>47)</sup> Sic, dubitanter tamen, *Mosbemius* in commentar. de rebus Chr. p. 237. 238. Multo confidentius nuper in hanc sententiam pronunciavit eccl. *Hegewisch* l. c. p. 184. 185.

constituendum non sufficere.<sup>48)</sup> Certe non sine ambiguitate, quae in eiusmodi edicto vitiosissima est, loquutus esset Hadrianus, si alium sensum, quam eum, quem nos probamus, verbis subiici voluisse. Accedit veterum auctoritas, Iustini Martyris, Melitonis, Eusebii, Hieronymi, aliorum, qui quidem omnes in eo consentiunt, ut Hadrianum sanxisse statuant, neminem Christianum, nisi criminum, quae proprie dicuntur, reus deprehensus fuerit, poenis afficiendum esse.<sup>49)</sup> Denique nullas idoneas causas afferunt viri docti, quibus efficiatur, novam eorum interpretationem praferendam esse. Frustra nos ablegant ad duriora illa decretâ, contra peregrinas religiones quascunque antiquioribus temporibus sancita.<sup>50)</sup> Profecto enim imperatores Romani, quoties quaestio de religione Christiana vel  
tole.

<sup>48)</sup> Mecum facit I. H. Boeckmer in diss. iuris eccl. antiq. p. 325. cf. Balduin comm. ad edicta vet. princ. Roman. p. 73 sq. edit. Hal. 1727.

<sup>49)</sup> Iustin. Apol. I. §. 68. Melito ap. Eus. IV, 26. — Euseb. IV, 8. et in Chron. ad Olymp. CCXXVI. C. 125. et ex eo Hieronymus p. 45. ed. Scalig. Non leve momentum accederet sententiae nostrae e verbis edicti, quod plurimi Antonino Pio tribuunt, ap. Euseb. IV, 12. p. 160. „rescripsit iam parens noster μῆδεν ενοχλεῖν τοῖς ταινοῖς (Christianis), εἰ μὴ εμφανιστοῦ τε πέρι την Ρωμαῖων ηγεμονίαν εγχειρουντες.“<sup>51)</sup> Enimvero non solum summi viri M. Aurelio illud vindicant, sed vereor etiam, ne totum rescriptum spuriū sit et commentitium.

<sup>50)</sup> Liv. IV, 30. XXV, 1. XXXIX, 8 — 19. Cic. de legg. II, 8. cf. de his Walch de Roman. in toler. relig. disciplina p. 9 sq. cel. Heeren in der Bibliothek der alten Liter. und Kunst, P. II. p. 13 sq. cel. Hegewisch l. c. p. 176 sq.

toleranda vel coercenda agitaretur, non ad iura antiqua recurrebant. Sed prout cum rationibus imperii nova illa sacra constare posse, aut illis ea adversari sibi persuadebant, Christianis vel aequiores vel iniquiores se praebuerunt. Itaque, quod omnis temporum istorum historia docet, Christianorum causa, ab his iactata, ab illis benignius habita, non semper stetit pari loco. In Adriano vero eo minus mirandum nobis videtur, si Christianae disciplinae addictos non durius tractandos censeret. Nam ex literis illis nobilissimis ad Servianum consulem datis <sup>51)</sup> non obscure colligitur, Christianos ab eo prosecta Iudaica reputatos esse. Iam cum Iudeis religionis suae profienda libera potestas concessa esset, modo res novas non molirentur, quidni et Christianis tranquille agentibus nec publicas caeremonias conviciis proscindentibus, ut suo in rebus divinis sensu abundarent, indulserit? Quid multa? Cum nullam Christianorum vexationem imperaverit, re ipsa testatum fecit, se solam Christianismi professionem non animadversione dignam existimare.

Quas modo commemoravimus literas Hadriani ad Servianum perscriptas, dum mente animoque recolimus, non possumus (ut hoc obiter moneamus), quin vanam esse judicemus veterum recentiorumque opinionem, qui Hadrianum lectis apologiis Quadrati et Aristidis initius demum de Christianis statuisse sumunt. Fae enim has apologias Hadriano non solum oblatas sed etiam lectitatas esse, qui quaeso fieri potuisset, ut de Christianis eorumque doctrina notiones tam erroneae et confusae menti

D 2

eius

<sup>51)</sup> Ex Phlegontis libris eas conservavit Nepiscus in Saturnino c. 8.  
in scr. H. A. T. II. p. 719 sq.

eijs obversarentur, quales literae illae continent.<sup>52)</sup> Neque dici potest, quod Balduino<sup>53)</sup> et aliis placuit, Hadrianum, cum antea satis imperite de Christina disciplina sensisset, istis apologiis lectis errores suos corressisse. Quominus enim id statui possit, obstant temporum rationes. Apologiae enim, de quibus quaeritur, circa a. C. 126. ei traditae esse feruntur, epistolam autem ad Servianum consulem certum est non ante a. 134. exaratum esse.<sup>54)</sup>

Quosdi autem vituperandi sunt, qui Hadrianum acerba vexatione in Christianos grassatum esse putant, non minus levitatis accusandi sunt iudicijque praecepsitati, quicunque contraria ratione aberrantes, loco quodem Lampridii, qui Constantini M. tempore floruit, inducti, tantam Christi apud Hadrianum existimationem fuisse sibi persuadent, ut de eo in deorum numerum cooptando deque templis ei dicandis consilia iniret.<sup>55)</sup> Nam ut omittam, quod eius

<sup>52)</sup> „Illic (in Aegypto) qui Serapin colunt Christiani sunt, et devoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter non mathematicus, non haruspex, non aliptes. (Ex parte de Christianis quoque Aegyptiis illius temporis haec vera esse non negaverim) Ipse ille patriarcha cum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. — Vnus illis (Aegyptiis) deus est. Hunc Christiani, hunc Iudei, hunc omnes venerantur et gentes.“ (h. e. omnes lucro inhiant.)

<sup>53)</sup> l. c. p. 83. 85.

<sup>54)</sup> V. Tillemont l. c. T. III. P. 3. p. 906.

<sup>55)</sup> En verba Lampridi in vita Alex. Severi c. 43. (H. A. Tom. I. p. 993. 994. ed. L. B. 1671.) — (Alex. Severus) Christo templum facere voluit, cumque inter deos recipere, quod et Hadrianus cogi-

rei a scriptoribus ecclesiasticis antiquioribus, quorum intererat, talia cognoscere et cognita tradere, nulla ne tenuissima quidem mentio iniiciatur; quod caput rei est, Hadriani literae ad Servianum satis superque docent, non tam egregie de Christianismi auctore sensisse Hadrianum, ut divino honore eum afficiendum existimaret. Obscura fama inde prognata est, quod, cum plura templa, ab Hadriano inchoata, imperfecta mansissent, et proinde numinum simulacris carerent, homines quidam male sani, cum a cultu religioso Christianorum simulacula et statuas exulare cognitum haberent, templa illa eo consilio condita esse somniarent, ut Christo consecrarentur.<sup>56)</sup> Caeterum ex ista fama illud probabiliter colligi potest, nullam gravioris alicuius vexationis Christianorum, ab Hadriano conflatae, memoriam extitisse. Alias enim fieri non potuisset, ut eiusmodi rumor percrebresceret.

Itaque, ut eorum quae a nobis disputata sunt, summam faciamus, si de conditione Christianorum externa sub Hadriano quaeritur, nullo modo inficiamur, variis calamitatibus conflictatam,

saepius-

*cogitasse fertur*, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris iusserat fieri, quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quae ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda.

<sup>56)</sup> V. Casaubonus ad h. l. et Pagi ad a. 134. T. I. p. 130. Fidem narrationi vindicare studuit Huetius demonstrat. Evang. III. 23. p. 73 sq. sed nihil adfert, quod aliquam vim habere possit. Cf. Basnage annal. polit. eccles. T. I. p. 59. 60. in quo tamen et ipso iudicii subacti matritatem desideres, dum Hadrianum more ac instituto Pythagorae *summo deo templa sine simulacris strui* voluisse defendit.

saepiusque tempestatibus ac procellis convulsam esse rem Christianam. Plebs enim potentissimis falsae religionis ludibriis cominota, et a sui ordinis hominibus, a vatibus, a sacerdotibus concitata, passim, praesertim ante edictum ab Hadriano propositum, ut causam deorum, quam vocabat, tutaretur, iram et furem in Christianos tanquam sacrilegos, tanquam impios et scelestos effudit. Praeterea et Barcochabas, qui funestissimis Iudeorum tumultibus facem praelulit, caedibus et suppliciis contra eosdem grassatus esse traditur,<sup>57)</sup> propterea quod ad suas partes secedere, ipsique contra Romanum militem suppetias ferre detrectarent. At publicam vexationem ab imperatore mandataim, et per orbem Romanum universum saevientem Christianis istius temporis sustinendam fuisse, nobiscum negaturos esse speramus, quicunque, sublatis coniecturis et commentis, a certa historiarum fide iudicandi rationes suspensas habere malunt.<sup>58)</sup>

<sup>57)</sup> V. Iustin. Apol. I. §. 31. p. 62. ed. Ben. Euseb. IV, 6. Exarsit bellum Iudaicum a. 16. Hadriani, ab u. c. 886. C. 133. et per biennium et quod excurrit ductum est.

<sup>58)</sup> Martyrum qui sub Hadriani imperio, populari, puto, tumultu perierunt, nulla memoria certa ad nos pervenit. Laudantur in primis Evaristus et Alexander episcopi Romani, et presbyter Faustinus cum Iovita diacono. V. Baron. ad a. 121. I. II. ad a. 131. I. ad a. 132. I. Sed sublestae fidei sunt, quae de iis tradiderunt, martyrologia. Neque genuina putanda sunt acta passionis S. Symphorosae et VII filiorum eius apud Ruinartum p. 18 sq.

---

Sed

Sed haec hactenus. Reliquum est, ut ad Solennia, quorum causa haec scripta sunt, animum advertamus. Instant dies festi, qui sacri sunt memoriae IESV CHRISTI, e morte ad vitam eamque immortalem revocati. Quod itaque pietas et officium suadent, id agite CIVES ET COMMILITONES HUMANISSIMI! et cogitanda beneficiorum, quibus DEVS O. M. per CHRISTVM homines bearci voluit, magnitudine, sensum plium, gratum, divinae voluntatis servantissimum hominumque amantissimum, in omnibus denique vitae fortunaeque vicissitudinibus fortem et erectum in vobis excitate et confirmate.

---

P. P. in Academia Rostochiensi d. ix. Aprilis MDCCCLIII.

---







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1005151245/phys\\_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005151245/phys_0036)

epiusque tempestatibus ac procellis convulsam esse terram Christianam. Iudei enim potentissimis falsae religionis ludibriis commota, et a suis iuridicis hominibus, a vatibus, a sacerdotibus concitata, passim, praeteritum ante edictum ab Hadriano propositum, ut causam deorum, quam vocabat, tutaretur, iram et furem in Christianos tanquam sacrilegos, tanquam impios et scelestos effudit. Praeterea et Barco-nebas, qui funestissimis Iudeorum tumultibus faciem praetulit, aedibus et suppliciis contra eosdem grassatus esse traditur,<sup>57)</sup> propterea quod ad suas partes secedere, ipsique contra Romanum militem suppetias ferre detrectarent. At publicam vexationem ab imperatore mandatam, et per orbem Romanum universum saevientem Christianis istius temporis sustinendam fuisse, nobiscum negaturos esse speramus, quicunque, sublatis coniecturis et commentis, a certa historiarum fide iudicandi rationes suspensas habere malunt.<sup>58)</sup>

<sup>57)</sup> V. Iustin. Apol. I. §. 31. p. 62. ed. Ben. Euseb. IV, 6. Exarsit bellum Iudaicum a. 16. Hadriani, ab u. c. 886. C. 133. et per biennium et quod excurrit ductum est.

<sup>58)</sup> Martyrum qui sub Hadriani imperio, populari, puto, tumultu perierunt, nulla memoria certa ad nos pervenit. Laudantur in primis Evaristus et Alexander episcopi Romani, et presbyter Faustinus cum Iovita diacono. V. Baron. ad a. 121. I. II. ad a. 131. I. ad a. 132. I. Sed sublestae fidei sunt, quae de iis tradiderunt, martyrologia. Neque genuina putanda sunt acta passionis S. Symphorosae et VII filiorum eius apud Ruinartum p. 18 sq.

Sed

